

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

Q. D. B. V.

DE
STIPENDIATIS
LITERARIIS

NEBUCADNEZARIS, BABYLONIORVM
REGIS,

AD

DAN. I. 4. 5. 6. 17. 19. 20.

MELETEMA,

QVO

ILLVSTRIS STIPENDII SCHABELIANI
IVBILAEVM PRIMVM,
ORATIONE SAECVLARI

D. XX. DECEMB. A. MDCCXXXVII.

IN AVDITORIO CATHARINIANO

CELEBRANDVM,

INDICIT

IO. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBECC. RECT.

LVBECAE.

TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYPOGR.

* *

* *

§. I.



STIPENDIVM esse vocabulum militare, & de mercede, quae variis modis datur militibus, olim fuisse adhibitum, tam notum est, quam crebro in CICERONE, & pluribus antiquis scriptoribus, loquendi rationes, *Stipendia in bello mereri, Stipendium militi constituere, Stipendium numerare militibus, hisque similes, occurrunt.* De ipso **VILIO CAESARE** scribit **SVETONIUS** (1): *STIPENDIA prima in Asia fecit, M. THERMI, Praetoris, contubernio; a quo ad arcessendam classem in Bithyniam missus. — — Reliqua militia, secundoire fama fuit, & a THERMO in expugnatione Mytilenarum corona civica donatus est.* Pari modo Graeca vox, **ΟΨΩΝΙΟΝ**, usurpatur. Vnde *εραπνομενοι*, sive milites, interrogantes Salvatorem (2): *Και ημεας τι ποιησομεν; Et nos quid faciemus? responsum tulerunt: Μηδενα διασεισητε, μηδε συκοφανησητε, και αρχεσθε τεις ΟΨΩΝΙΟΙΣ υμων. Neminem concutite, neque dolose circumvenite, & contenti estote STIPENDIIS vestris.* Eodem sensu adhibet **PAVLVS** (3), quaerens: *Τις εραπνευται ιδιαις ΟΨΩΝΙΟΙΣ ποσε; Quis militat propriis STIPENDIIS unquam? THEOPHYLACTO* (4) interprete **ΟΨΩΝΙΟΝ λεγεται, το τεις εραπνωσας παρα του βασιλευσ διδομενον σιτηρεσιον, STIPENDIVM dicitur, militibus a Rege datum alimentum.** Eodem modo profani, e quibus cito **POLYBIVM** (5), cuius descriptio Stipendii incipit: *ΟΨΩΝΙΟΝ δε οι μεν περοι λαμβανουσι της ημερας δυο οβολας, οι δε πεζιαχοι διπλην. οι δ' ιππεις δραχμην. κ. τ. λ. STIPENDIVM pedites accipiunt septem diebus, duos obolos: ductores ordinum, duplum: equites vero, drachmam, & rel. Plura hanc in sententiam dabunt, praeter alios, a **IO. CHRISTOPH. WOLFIO** (6) citatos, **ERYCIVS PVTEANVS***

(1) Vit. c. 2. (2) Luc. III. 14. (3) 1. Cor. IX. 7. (4) Commentar. in Rom. VI. p. 60. Plura Patrum loca huc spectantia vid. in **IO. CASP. SVICERII** Theol. Eccles. Tom. II. col. 540. (5) Lib. VI. Integrum **POLYBII** locum affert **THEOD. BEZA** ad Luc. III. 14. Conf. quae ex **VOPISCO** adiecit. (6) Cur. Vol. I, p. 601, Vol. II, p. 429.

TEANVS atque VINCENT. CONTARENVS, in peculiaribus de Stipendio Militari libris, quibuscum IVST. LIPSIJ de Militia Romana liber (7) conferri meretur.

§. II.

Translatum deinceps est *STIPENDII* vocabulum ad literarum cultores, de quorum mercede & praemiis eo iam usum esse SVE-TONIVM, innuere videtur V. C. IO. HENR. MARTIVS (8), dum laudat FL. VESPASIANVM, quod eruditus primus ex fisco *STIPENDIA* constituerit, & ad TRANQVILLI auctoritatem provocat. Varias autem evolvi citati Vitarum XII Caesarum scriptoris editiones, in quibus omnibus haec inveni verba (9): *Ingenia & artes vel maxime fovit. Primus e fisco Latinis Graecisque Rhetoribus annua centena constituit. Praestantes Poetas, nec non & artifices, Coae Veneris, item colossi refectorem insigni congiario, magnaue mercede donavit.* Unde liquet, quod VESPASIANVS iure *Stipendiariis* (sic enim recte vocantur, qui Stipendia erogant, non, quae nonnullorum minus accurata loquendi ratio est, qui iisdem fruuntur) annumeretur, quamvis Stipendii sensu literario accepti vsus tam antiquus non esse videatur. Quicquid vero huius rei sit, hoc certum est, quod omnes illi, qui in scientiis excolendis sedulo sunt occupati, pulchre cum militibus comparentur. Castra idcirco Musis adscribuntur. Et veteres Minervam hastatam, bellatricem, victricem, sinxerunt, luculenter indicaturi, quod literis consecratum hominem oporteat adversus ignorantiam aeque fortiter militare, ac strenuus miles adversus hostem acriter pugnat. Quare omnia praemia, omnia beneficia, quae literarum cultoribus decernuntur, & vel in cibo ac potu, vel numerata pecunia, vel datis ephoris, vel subsidiis aliis, consistunt, *Stipendiorum* nomine sunt insignita. His sane tam magna debetur laus, quam egregie isthaec artibus liberalibus optimisque disciplinis conservandis, promovendis & amplificandis inserviunt. Praeclarus idcirco

A 2

- (7) Dialog. XVI. p. 316 sqq. Conf. MATTH. ZIMMERMANNI Florileg. Philologico-Histor. p. 743 * 199. (8) Diss. Historico-Philol. de praecipuis, iisdemque antiquioribus, Literarum Statoribus & Maecenatibus (Wittenb. 1736. 4.) §. 18. p. 14. (9) Vit. Vespas. cap. 18.

idcirco etiam est labor, quem enarrandis iisdem & describendis GEORG. VRSINVS (10), IO. CHRISTFR. SAGITTARIUS (11), HERM. CONRINGIUS (12), IO. GVIL. STVCKIUS (13), impenderunt.

§. III.

Vestigia eorum in sacro etiam codice extant, siquidem, vt de reliquis nihil dicam, in eo offenduntur, qui *Stipendiati* (vt Tertulliana voce vtar) *Biblici* merentur appellari. Innuo quatuor istos Iuvenes, quorum non educandorum modo & institutorum, sed alendorum quoque ac sustentandorum, NEBVCADNEZAR, Babyloniorum Monarcha, curam gesfit. Hos, ab ASPENA iussu Regio electos, in tabulis sanctioribus (14) sic reperimus descriptos: **לדרים אשר את-כחם כל-מאום וטובי מראה ומשכלם ככל-חכמה וידעי דעת ומביני מדע ואשר כח בהם לעמד כדחיל המלך וללמדם ספר ולשון כשרים: וימן להם המלך רב-יום כיומו מפתבג המלך ומיין משתיו ולגדלם שנים שלוש ומקצתם יעמדו לפני המלך: ויהי בהם מבני יהודה** דניאל הנביא משאל ועזריה i. e. *Iuvenes, in quibus nulla omnino macula, & bonos aspectu, & intelligentes in omni sapientia, & scientes scientiam, & intelligentes cognitionem: & quibus facultas standi in palatio Regis; & ad docendum eos scripturam & linguam Chaldaeorum. Destinavit quoque iis Rex verbum diei in die suo (15), de cibo Regis, & de vino potuum eius, & ad educandum eos annos tres: ubi quidam eorum stare deberent coram Rege. Fuit autem inter eos, de filiis Iudae, DANIEL, CHANANIAH, MISCHAEEL & ASARIAH. והילרים האלה ארבעתם נתן להם האלהים מדע והשכל ככל-ספר החכמה ודניאל הבין ככל-חזון וחלמות.*

Et iuuenibus his quatuor;

(10) Antiquit. Hebr. Scholastico-Academ. c. 14. p. 369 sqq. (11) Diff. de Orig. Salarior. & Stipendior. Liter. in *Orio Ienensi* p. 227 sqq. (12) Antiquitat. Academic. p. 15 sq. 227. (13) Antiquit. Convivial. L. I, c. 19. p. m. 46 sqq. (14) Dan. I. 4. 5. 6. 17. 19. 20. (15) *Annorum per singulos dies* expressit ignotus auctor Bibliorum Latinorum rarissimorum (vid. THEOPH. SINCERI Biblioth. Historico-Critic. Libror. rarior. p. 7 sqq.) Lipsiae, 1544. fol. ex officina Nicol. Wolrab, cum Prooemio IO. BRENTII, editorum.

tuor; dedit illis DEVS cognitionem, & intellectum in omni scriptura & sapientia; insuper DANIEL intellexit omnem visionem & somnia. וידבר אתם המלך ולא נמצא מכלם כדניאל הנביא מישאל ועזריה ויעמרו לפני המלך; וכל דבר חכמת בינה אשר בקש מהם המלך וימצאם עשר ידות על-כל-החרטמים האשפים אשר ככל-מלכותו. Et locutus est cum iis Rex; nec inventus ex omnibus, sicut DANIEL, CHANANIAH, MISCHAEEL & ASARIAH: & steterunt coram Rege. Et omni verbo sapientiae, intelligentiae, quod quaesivit ex iis Rex, deprehendit eos decem partibus superiores omnibus Astrologis & divinatoribus, qui in toto regno ipsius. Haec scripta sunt in laudem quatuor Iuvenum, quos Stipendiatos literarios dicere, nullus dubito,

§. IV.

Nomina eorum ex antecedentibus satis superque nota sunt. Cur vero ea mutarit ASPENAS, & ab eodem DANIEL vocatus sit בלטשאצר, Belteschazar: CHANANIA שדרך, Schadrach: MISCHAEEL מיטך, Mefchach: ASARIAH עבד נגו, Abed Nego, haud immerito fuit quaesitum & variis ad hanc quaestionem modis responsum. Nonnulli mutationem factam esse contendunt ideo, quod nomina Hebraica Chaldaeis essent odiosa, nec sine difficultate possent ab iisdem pronuntiarī. Alii dominium in abductos Iudaeos hac etiam ratione a Chaldaeis significatum vrgent. Neque desunt, qui in impositis iisdem nominibus Chaldaicis quaerunt studium Chaldaeorum abstrahendi eos a vera religione, & ad vana fictaque sacra perducendi, cum in ipsis nominibus Chaldaicis latere videantur quaedam superstitiosi cultus vestigia. Sed his eo minus immoror, quo copiosius a MATTHAEO POLO (16), plures etiam coniecturas recensente, sunt allata. Istud tantum observo, quod Chaldaei scopo hoc, si eum sibi praefixerunt, exciderint. Nam DANIEL, a DOROTHEO TYRIO (17), aut rectius Pseudo-Dorotheo, iure vocatus ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, sanctus DEI, aequae ac focii, etfi cum profana

A 3

(16) Synops. ad h. l. (17) Lib. de Prophet. p. m. 46^a. ap. b. IO. ALB. FABRICIVM in Mantiss. Cod. Pseudepigraph. V. T.

profana iis gente esset versandum, illibatae tamen pictatis & religionis incorruptae neutiquam fecerunt iacturam, cuius ille etiam in fovea leonum (18), hi in furno igneo (in quem coniecti (19) Chaldaeis quoque nominibus appellantur, longe aliam tamen & inquinata Chaldaica multo meliorem religionem profitentes, ut adeo in vera perseverarint fide, mutatis licet ipforum nominibus) luculentissima dederunt documenta.

§. V.

Quam valde idcirco laudandi, tam apte NEBVCADNEZARIS *Stipendiati* sunt dicendi. Is enim de eorum sustentatione cogitavit, dum cibo ac potu, & ex eo quidem, quo ipse fruebatur, eos voluit donatos, adeoque alimento eorum largiter prospexit. Gravi quidem de causa DANIEL, sincera imbutus religione, hoc beneficium deprecatus est, & commilitonibus suis, ut idem facerent, haud dubie persuasit. Exprimitur illa verbis (20), וישם דניאל על לבו אשר לא יתגאל בפתג המלך רבין משתוי ויבקש משר הסריסים אשר לא יתגאל *DANIEL super cor suum, quod non vellet immundum se reddere per cibum Regis, & per vinum potuum eius: ideoque petiit a principe eunuchorum, ut non cogereetur immundum se reddere.* Non enim omnes cibos comedere, iis, qui ad populum DEI pertinebant, erat licitum (21). Cumque gentibus profanis in more esset positum, cibos superstitione consecratos, a cunctis, sibi ac sodalibus e mensa Regia porrigendis, abstinere, quam cum licitis simul illicitos & irreligioso more gentium profanatos, sumere, hocque modo se polluere, satius ducebat. Noverat etiam sine dubio, quod similis superstitione in usu vini a profanis committeretur. Hi enim fictis istud Numinibus solebant consecrari, & pro salute eorum libare: quem ridiculum gentium ritum ex antiquis monumentis, tum ab aliis, tum a IVST. LIPSIO (22) expositum invenimus. Quare & hoc, a Rege veri cultus divini ignaro oblatum, sapienter respuebatur, DANIEL potius, eiusque focii הורעים *leguminibus,*

(18) Dan. VI. 16 sqq.
XXII. 31. Lev. XI. 2 sqq.
cap. I. p. m. 153.

(19) III. 12 sqq.
Deut. XIV. 7 sqq.

(20) I. 8. (21) Exod.
(22) Antiq. Lect. Lib. III.

minibus, & DW , aqua, erant contenti (23), pie declarantes, quod delicato corporis cibo ac potu libenter vellent carere, dummodo possent saluberrimum animae, vera religione pascendae ac nutriendae, pabulum, cui a teneris assueti erant, retinere. Atque haec praecipua detrectati cibi ac potus Regii causa esse videtur. IOSEPHVS cum purarum mentium conservatione alteram coniungit, ut nimirum essent aptiores ad laborem, qui ipsis, novam disciplinam percepturis, incumbere, exantlandum. $\text{O}\text{i}\ \delta\epsilon$, idcirco scribit (24), $\text{ὡς}\ \kappa\alpha\iota\ \tau\omega\upsilon\ \psi\upsilon\chi\omega\upsilon\ \alpha\upsilon\tau\omicron\iota\varsigma\ \delta\iota\alpha\ \tau\epsilon\tau\omicron\ \kappa\alpha\tau\alpha\rho\omega\upsilon\ \kappa\alpha\iota\ \pi\rho\acute{\omicron}\varsigma\ \tau\eta\ \nu\alpha\iota\tau\epsilon\iota\alpha\ \alpha\iota\kappa\alpha\iota\ \Phi\upsilon\lambda\omicron\sigma\tau\omicron\iota\alpha\ \epsilon\upsilon\sigma\tau\omega\lambda\epsilon\tau\epsilon\iota\omega\upsilon.$ $\text{ἔ}\tau\epsilon\ \gamma\alpha\rho\ \epsilon\kappa\epsilon\iota\upsilon\alpha\varsigma\ \epsilon\lambda\omega\beta\omicron\upsilon\eta\sigma\iota\ \kappa\alpha\iota\ \beta\alpha\rho\epsilon\iota\alpha\varsigma\ \epsilon\iota\chi\omicron\upsilon\ \upsilon\pi\acute{\omicron}\ \tau\rho\omicron\Phi\eta\varsigma\ \pi\omicron\iota\kappa\iota\lambda\eta\varsigma,$ & $\delta\epsilon\ \tau\alpha\upsilon\tau\alpha\ \mu\alpha\lambda\alpha\kappa\omega\delta\eta\tau\epsilon\alpha\ \delta\iota\alpha\ \tau\eta\ \alpha\upsilon\tau\eta\ \alpha\iota\tau\iota\alpha\ \nu.$ $\text{π}\alpha\sigma\alpha\ \nu\ \epsilon\tau\omicron\iota\mu\alpha\varsigma\ \epsilon\zeta\epsilon\mu\alpha\delta\omicron\upsilon\ \nu\alpha\iota\tau\epsilon\iota\alpha\ \nu,$ $\eta\tau\iota\varsigma\ \eta\ \nu\alpha\rho\alpha\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \text{E}\beta\rho\alpha\iota\omicron\iota\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \text{K}\alpha\lambda\delta\alpha\iota\omicron\iota\varsigma.$ **SONO** interprete: Illi vero, quasi propterea mentes eis essent purae & defaecatae adeo, ut optime possent disciplinis imbui, & corpora firmiora evaderent ad labores perferendos (neque enim illas laedebant & praegravabant ciborum varietate, neque ista eadem ex causa molliora reddebant) facile instituti erant in omni Hebraeorum & Chaldaeorum doctrina. Quae ratio non omnino quidem spernenda, prior tamen iure ei est praeferenda. Et si itaque cibum ac potum a Rege ipsis destinatum quatuor Iuvenes accipere noluerint, largiri tamen iis voluit NEBVCADNEZAR, sicque eosdem inter *Stipendiatos* suos cooptavit.

§. VI.

Et *literarios* quidem. In his enim merito occupant locum, si quidem dedit ipsis, qui eos educarent & instituerent. Diserte IOSEPHVS (25): $\text{P}\alpha\iota\delta\alpha\gamma\omega\gamma\omicron\iota\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \tau\eta\ \delta\iota\ \alpha\upsilon\tau\omega\upsilon\ \text{P}\epsilon\rho\alpha\pi\epsilon\iota\alpha\ \nu\alpha\rho\alpha\delta\iota\delta\omega\sigma\iota,$ *Paedagogis & eorum curae, qua excolerentur, eos tradidit.* Factum autem illud esse sumptibus Regiis, vel inde licebit colligere, quod hi Iuvenes e captivis Hierosolymitanis erant delecti, adeoque opibus & fortunis, bello ademptis, destituti, ad vitam conservandam & disciplinam

(23) Dan. I. 12.
vercamp,

(24) Antiq. Iud. Lib. X. cap. 10. p. m. 533 sq. edit. Ha-

(25) loc. cit.

plinam Chaldaicam addiscendam aliena indigebant ope, qua eosdem sublevandos NEBVCADNEZAR censebat. Et per שנים שלוש, *triennium* (26) quidem. Hoc enim temporis spatium iis porro formandis sufficere, arbitrabatur. Eligendos scilicet curaverat non plane rudes & omnis scientiæ omnino expertes, sed probe iam institutos & multa scientissime complexos, ילדים משכלים, *Iuvenes intelligentes in omni sapientia, & scientes scientiam, & intelligentes cognitionem*, qui constituto tempore reliqua, & praesertim Chaldaica, poterant percipere. Vbi merito miramur Babylonici Monarchae prudentiam, qua feligi iussit iuvenes habitu & externo & interno ad tractanda literarum studia prae reliquis aptos ac idoneos, longe remotus ab insipientia eorum, qui disciplinae literariae non raro, ipsa teste experientia, confecerant ligna, e quibus non potest fieri Mercurius, iuvenes, quorum Minerva crassa est, imo crassissima, homines, ad aratum & stivam, quam literas excolendas, aptiores. Quod vero habitus externi rationem haberi voluerit, indicant verba, quibus vates divinus מראת טובי מראת כל - מאום ומובי מראת, *in quibus nulla omnino macula & bonos aspectu*, nominat. In Veteri Testamento DEVS diserte prohibet, ne quis ad sacerdotium, quod studia sanctiora utique debent praecedere, admittatur, qui insigni quadam corporis labe est informis (27). In Novo Testamento itidem non vult Salvator, ut discipuli ipsius sint σαυδογραφοί (28), i. e. torvum vultum prae se ferant. Prudenter idcirco NEBVCADNEZARIS iussu Stipendiati literarii electi sunt eiusmodi iuvenes, in quibus מאום מראת, *nulla macula*, adeo, ut ne ipse quidem Momus in forma eorum externa, quod reprehenderet, potuerit invenire: qui טובי מראת, *boni aspectu*, liberali & ingenua gauderent facie, neque ipso aspectu formidabiles, animos cunctorum eos aspicientium a se averterent. At simul respicere iussit habitum internum, quem potissimum investigandum esse in iis, qui artibus dicantur liberalibus, nemo, qui

(26) Conf. CHRIST. BENED. MICHAELIS Orat. de DANIELE, *Laudabili exemplo typoque triennii Académici*, Hal, 1736. 4. (27) Levit. XXI, 17 sqq.
(28) Matth. VI, 16.

qui sapit, inficiabitur. Vnde eligendi debebant esse מְכֻנִּים, וְרַעִים, מְשֻׁכְּמִים, *sapientes, scientes, intelligentes*, adeoque non stupidi, non inertes, sed ingenio praediti, iudicio valentes, acumine pollentes, sique dociles & disciplinae capaces. Quam scite ergo NEBVCADNEZAR maxime idoneis Stipendia contulit alumnis, tam magnus quoque fuit, qui inde ortus est, fructus, quem, expensa, quam percipere debebant, disciplina, videbimus.

§. VII.

Hanc *Disciplinam* vocat sanctus Vates סֵפֶר וְלִשָּׁן כַּשְׂדִּים, *scripturam & linguam Chaldaeorum*. LXX Interpretes: *γράμματα καὶ γλώσσαν Χαλδαίων*. Vti vero γράμματα denotant omnis generis literas, ita Hebraica etiam vox סֵפֶר, in citatis Bibliis rarioribus per literas expressa, ambitu suo varias complectitur disciplinas, quibus Chaldaei operam navabant. Hae erant Philosophicae, siquidem Chaldaei ob excultam Philosophiam in antiquis monumentis (29) passim concelebrantur. Vnde DIOGENES LAERTIVS, Philosophiae parentes nominaturus, Chaldaeos etiam commemorat. Sic enim Prooemium eximii de Vitis, Dogmatibus & Apophthegmatibus clarorum Philosophorum operis incipit: τὸ τῆς φιλοσοφίας ἐργον ἐνίοι φασιν ἀπὸ βαβυλῶν ἀρξῆαι. γεγενῆσθαι γὰρ παρὰ μὲν Πέρσαις Μάγους, παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις, ἢ Ἀσσυρίοις, ΧΑΛΔΑΙΟΤΣ. κ.τ.λ. Philosophiae opus quidam dicunt a barbaris originem trahere. Eius enim auctores fuisse Persis Magos, Babylonis & Assyrii CHALDAEOS, & rel.

B

(29) Ex his Chaldaeos descripserunt GERH. IO. VOSSIVS de Orig. & Progress. Idololatr. Lib. II. cap. 47. p. m. 207 sqq. Opp. T. V. de Philosoph. Sect. c. I. p. m. 281 sq. Opp. T. III. THOM. STANLEIVS Hist. Philosoph. p. 110 sqq. IO. CLERICVS Oper. Philosoph. Tom. II. p. 158 sqq. ABRAH. GRAVIUS Hist. Philos. p. 13 sq. In primis vero MICH. PSELLVS in Expositione in Oracula Chaldaica, nec non Dogmatum Chaldaicorum Declaratione. Conf. LEON. ALLATHI Diatr. de Psellis §. 40. p. 28 sq. ap. FABRICIVM Biblioth. Graec. L. V. P. I.

rel. Astrologiam in primis (de qua CICERO in *Syria*, ait (30), CHALDAEI cognitione astrorum, solertiaque ingeniorum antecellunt, & LEO, Orientis Imperator, disciplinas addiscendas Ducibus militari- bus praescripturus, Astronomiam e Chaldaicis quoque observationi- bus iubet percipere, τὴν ἀστρονομίαν, scribens (31) οἱ περὶ τὰ οὐρα- νια χολάζουσαι, σοφία τε καὶ ἐπισήμη τῆς τῶν ἀστέρων ψηφοφορίας διαφέρουσαι, περὶ τε τὸν Πτολεμαίου πρόχειρον κανόνα, καὶ περὶ τὴν αὐτὴ λεγομένην τετραβιβλον, περὶ ἑτέρά τινα τῶν ΧΑΛΔΑΙΚΩΝ ΠΑΡΑ- ΣΕΙΟΣΕΩΝ. i. e. IO. CHECO interprete: In astrorum ratione, qui coelestia corpora scrutati sunt, quique in astrorum ortu atque obitu, con- versionibus planetarum, operam suam collocant, qui Ptolemaeum diligerenter cognoscunt, & CHALDAICAS quasdam OBSERVATIONES, Archi- tecturam, & huiusmodi Mathematicas disciplinas, Politicam quo- que, eos excoluisse, annales & sacri & profani testantur. Qua de causa eam sibi compararunt scientiae famam, ut Eruditi praesertim Chaldaei dicti fuerint (32). Sed admiscuerunt bonis scientiis malas, inutiles, superstitiosas, de Diis Azonis, Zonaeis, Hyperarchiis, de mundo empyreo, de daemonibus materialibus, de spiritu Pythoni- co, de Talismanibus, de cultu idololatrico Deorum, corporum quoque coelestium, Solis, Lunae, Planetarum, & rel. hacque ra- tione Philosophiam suam valde corruerunt. Quare de ABRAHA- MO in Chaldaeam profecto, ex eadem vero etiam egresso (33), scribit MAIMONIDES (34): מושקע במור כשדים כיו עוברי עין הטפשים i. e. DIONYS. VOSSIO interprete: in *Vr Chaldaeorum submersus erat inter fatuos idololatrias*. Neque Chaldaicam superstitio- nem tacet DIOD. SICVLVS (35), his vtens verbis: ΧΑΛΔΑΙΟΙ τῶν ἀρχαι-

(30) Lib. I. de *Divinat.*

(31) *Tactic.* p. 431

(32) Conf. STANLEIVS loc. cit. p. 1119.

(33) *Gen.* XV. 7.

(34) Lib. de *Idololatria* §. 6. p. m. 7.

(35) *Biblioth. Histor.* L. II. p. m. 115.

ἀρχαιοτάτων ὄντες Βαβυλωνίαν, τὴν μὲν αἵρεσιν τῆς πολιτείας παραπλη-
 σίαν ἔχουσι τοῖς καὶ Αἰγυπτίων ἱερεῦσι. πρὸς γὰρ τῇ Θεραπείᾳ τῶν
 Θεῶν τεταγμένοι, πάντα τὸν τοῦ ζῆν χρόνον φιλοσοφοῦσι, μεγίστην δόξαν
 ἔχοντες ἐν ἀστρολογίᾳ. αἰσέχουσαι δ' ἐπὶ πολὺ καὶ μαυτικῆς ποιούμενοι
 προρρήσεις περὶ τῶν μελλόντων, καὶ τῶν μὲν καθαρμοῖς, τῶν δὲ θυσι-
 αῖς, τῶν δ' ἄλλαις τισὶν ἐφοδαῖς ἀποδοχὰς κακῶν καὶ τελειώσεις ἀγα-
 θῶν περὶ πάντων περιζέουσι. ἐμπειρίαν δ' ἔχουσι καὶ τῆς διὰ τῶν οἰωνῶν μαν-
 τικῆς ἐνυπνίων τε καὶ τεράτων ἐξηγήσεις ἀποφαινοῦσαι. οὐκ ἀσέφως δὲ
 ποιοῦνται καὶ τὰ περὶ τὴν ἱεροσκοπίαν, ἀκριβῶς ἐπιτυγχάνει νομίζον-
 ται. i. e. LAVR. RHODOMANO interprete: CHALDAEI, Babylo-
 niorum vetustissimi, eum in republica ordinem tenent, quem Aegypti Sacer-
 dotes sibi vindicant. Deorum enim cultui additi, per omne vitae tempus
 philosophantur, & praecipuam ex Astrologia gloriam nanciscuntur. Inte-
 rim divinationis magnopere studiosi, res futuras praedicunt, & vel expia-
 mentis, vel sacrificiis, vel incantationibus quibusdam averruncationes ma-
 lorum, bonorumque effectiones, producere conantur. Auguralis etiam di-
 vinationis peritiam habent, somniaque & prodigia interpretantur. Nec
 insolenter haruspicianam facitantes, vera exakte praedicere existimantur.
 Pluribus testimoniis citandis supersedeo. Quaero autem: An DA-
 NIELI & commilitonibus licitum fuerit iis vti magistris, qui corrup-
 ptam doctrinam non poterant non profiteri? Nolo hic vrgere, quod
 in loco supra adducto tradat IOSEPHVS, eos Hebraicam simul dis-
 ciplinam fuisse a Chaldaeis edoctos. Hoc enim in fonte non legi-
 tur. Et praeterea constat, quod eadem iam ante fuerint imbuti.
 Imo vero Chaldaei disciplinae Hebraicae ignari, eamque averfan-
 tes, docere istos haud poterant, quod ipsi non intelligebant. Animad-
 verto potius, quod non omnes Chaldaeorum artes fuerint in malae,
 e. g. Astrologia, quae, si non est vana illa, iudiciariae cognomine
 famosa, utilis & praeclarae artis elogio insigniri meretur; sed quae-
 dam ad bonam pertineant Philosophiam, atque eam scientiam pro-
 fanam, ad quam ii, qui sanctioribus se addixerunt literis, tuto
 etiam possunt animum adicere. Stulta enim est & fanaticæ vesania
 eorum

eorum, qui a sacrae scientiae cultore omnem profanarum literarum notitiam longissime volunt remotam. Tollatur abusus, & legitimus usus haud difficulter sese tuebitur. Notari quoque meretur, quod disertae כשרים nominentur. Vti vero quatuor potissimum apud Chaldaeos erant sectae Philosophorum, חרשמים, אשפים, מכשפים & כשרים (36), quos SEB. SCHMIDIVS per *astrologos, divinatores, praestigiatores* atque *Chaldaeos* expressit; ita principatum inter eos videntur obtinuisse כשרים, נאר' ἐξοχη dicti *Chaldaei*, quorum minor forte fuit, quam reliquorum, superstitio, graviorque doctrina. Esto vero, quod et hi ab omni corruptela non fuerint immunes, sed, aequae ac collegae, vana, anilia, inquinata proposuerint; nonne aliud est, scire & cognoscere, aliud, probare & exercere, quae falsa sunt & superstitione contaminata? Illud neutiquam nocebat DANIELI & sociis, proderat ipsis potius, ut aptiores deinceps essent & magis idonei ad ficta dogmata eo melius & efficacius refellenda. Quemadmodum enim hodieque potest aliquis depravatam Philosophiam cognoscere, neque tamen calculum ei dare, imo denegare debet, ut a strophis eiusdem & inutilibus ac supervacaneis, imo noxiis ineptiis & sterilibus subtilitatibus sibi caveat, eademque reicere, & alios contra istas praemunire queat; ita Stipendiati quoque NEBVCADNEZARIS poterant, salva conscientia, audire tricas Chaldaicas, dummodo assensum iis non darent, sicque pro veris haberent. Hoc vero de DANIELE & sodalibus nulla idonea ratione affirmabitur. Recte BALTHAS. MEISNERVS in *artibus*, ait (37), *Philosophicis, praesertim Mathematicis, procul dubio DANIELEM cum sociis informavit ASCHPENAZ, sic tamen, ut supersticiosam Magiam hinc merito excludamus. Nec enim vero sit simile, DANIELEM, virum adeo religiosum, vanas & diabolicas artes addidicisse, quales Chaldaeis alias fuisse in usu, non ignotum est. Qui enim se cibo regio contaminari noluit, utique multo minus praestigiiis magicis operam navavit: quae*

omnia

(36) Dan. II, 2. Comp. STANLEIVS loc. cit. p. 1120 sq.

(37) Schol. Babylon, P, II, §. 46. p. F, 3. b.

omnia tamen ex singulari providentia DEI ita contigisse, nulli dubitamus. Ipse nimirum Sanctissimus his servis suis clementissime prospexit, siquidem ספר וחכמה בכל- מדע והשכל נתן לחם האלהים, dedit illis DEVS cognitionem & intellectum in omni scriptura (38) & sapientia, adeoque mansit supremus studiorum, quae excolenda illis erant, director, mentesque eorum gubernavit, ut non potuerint corrupta disciplina Chaldaea, corrumpi & a vera, quam imbiberant, religione averti. DANIELI sigillatim, alumnorum primo, concessit facultatem, qua החלמות והזון בכל- הרבין, intellexit omnem visionem & somnia. Quae visionis & somniorum interpretatio uti fuit sancta & divinam vim fundamenti loco habuit (39), ita quoque credimus modo, quae in canonico de iisdem codice memoriae sunt prodita, non morantes, quae in monumentis apocryphis, *Coniecturto*, *Onirocriticis*, *Prognostico* ac *Visionibus DANIELIS* (40), narrata, quod linguam Chaldaeorum attinet, istius notitia eo minus poterat detrimenti quid iis afferre, quo magis erat necessaria, ut, in aulam transferendi, Regem mandata ipsis daturum possent intelligere & iussa ab eodem promte ac fideliter exequi; quove minus obest sincero Christiano, si linguas infidelium omnes cognitae sibi reddat atque perspectas. Non enim cum linguae cognitione, sed cum rerum eadem expressarum approbatione & usu, vitium est coniunctum.

B 3

§. VIII.

(38) Memoratus Bibliorum Lipsensium auctor: libro.

(39) BRENTIVS in cit. Prooem. fol. 8. a: DANIELEM magis miraculum, quam Prophetam dixeris. Is enim tam insigni spiritu praeditus fuit, ut non solum viderit venturum regnum CHRISTI, quod & perpetuo constet & omnia alia regna destruat, verum etiam numeraverit hebdomadas annorum, quibus CHRISTVS venturus erat. Et quemadmodum ante MICHAELAS indicavit locum natiuitatis CHRISTI, ita DANIEL indicat tempus eius, quod ut maxima fuit consolatio piorum, qui fuerunt tunc oppressi variis calamitatibus, ita nobis certissimum est testimonium, quod, in quem credimus, IESVM, filium Mariae, is verus sit CHRISTVS, Servator noster.

(40) Conf. b. IO, ALB, FABRICII Cod. Pseudepigraph, V, T. Vol. I. pag. 1130 sqq.

§. VIII.

Fructum Stipendii, quod sponte donavit quatuor electis Iuvenibus NEBVCADNEZAR, tam eximium est expertus, ut is spem ipsius atque opinionem longissime superarit. A Rege enim ad colloquium & examen admisi, tam egregia dederunt sapientiae & eruditionis specimina, ut עשר ירות על-כל ימצא מלכותו החרטומים אשר בכל מלכותו, *invenit eos decem partibus superiores omnibus astrologis & divinatoribus (41), qui in toto regno ipsius.* Insigne sane testimonium, quo Stipendiati Babyloniciperhonorifice ornati. Chaldaei habebantur olim omnium doctissimi, qui reliquis, quos antiquitas ob eruditionem, & praesertim Philosophicam, celebrat, palmam praeripuisse dicuntur. ZOROASTRIS idcirco, BELI, BEROSI, & plurium Chaldaeorum Philosophorum, nomina in priscis monumentis perquam sunt celebria. Quid? quod HESYCHIVS, Chaldaeos laudaturus, eos γένος Μάγων πάντων γινωσκόντων, *genus Magorum (aut Sapientum) omnia cognoscentium*, adeoque cunctas disciplinas callentium, appellare, nullus dubitat. Quare non desunt, qui ab ἄσφια ipsam vocem Graecam, Σοφοί, *Sapientes*, deducendam esse, arbitrantur. Hoc vero si lusus forte magis est, e quarundam vtriusque vocabuli literarum convenientia natus, quam vera etymologia; negari tamen non poterit, quod Chaldaei inprimis Σοφοί fuerint habiti, & illustri sapientiae haud vulgaris fama inclauerint. Et hos nihilo fecius, ipso Rege iudice, Stipendiati Nebucadnezarei longissime superarunt. Cui rei divini quid subesse, liquido apparet. Putabat enim sine dubio Rex, in suo tantum regno reperiri viros, qui vni- ce dicendi essent literatissimi, & ceteros omnes innumeris post se parafangis relinquerent. At inveniebat e Iudaica gente iuvenes multo

(41) Biblia Latina Lipsiensis: *invenit in eis decuplum super cunctos ariolos & magos.*

multo doctrina praestantiores, quorum sapientia ipsi placebat adeo, vt Philosophis, quos totum complectebatur regnum Chaldaicum, eos praefereudos esse, indicaret. Quamvis enim laudatos Iuvenes educari & institui voluerit eo consilio, vt supersticiosam religionem propagarent, veram autem oppugnarent, DEVS tamen vniversum hoc negotium dirigebat ita, vt haec nullum inde caperet detrimentum, amplificaretur potius laude, quae constantibus eiusdem confessoribus a Rege impertita. Hoc nimirum genuini veritatis testes effulgent decore, vt ab ipsis nonnunquam aduersariis excellentia sua laudes extorqueant. Convictus itaque fuit NEBUCADNEZAR de Stipendio non frustra, sed vtiliter admodum collocato, siquidem Stipendiati viros se praestiterunt.

§. IX.

Eundem obtinere finem multos alios, qui legant Stipendia, vt bonarum, & praesertim sacrarum, literarum cultoribus erogentur, salva veritate affirmo. Licet enim vtilitas inde emanans non possit omnino cum fructu Stipendii Nebucadnezarei comparari, neque cuncti Stipendiati in omnibus queant cum Nebucadnezareis conferri; ille tamen permagnus quoque saepius est, & in his dantur etiam, qui, ipsa testante experientia, eruditione haud vulgari exornantur, & apti fiunt ac idonei ad sa-
lutaria sanctiori reipublicae praestanda officia.

§. X.

Documentum huius rei capere licet ex illustri *Stipendio Schab-
beliano* (42), quod a Viro pio, candido, commodorum sacrae DEI
civi-

(42) *Schnabbelianum*, per errorem forte typographicum, vocatur in ERDM.
RVD. FISCHERI Vit Io. Gerhards p. 265, vbi de IO. ERN. GER.
HARDO, Stipendii Schabbeliani alumno, agitur.

civitatis promovendorum perquam studioſo, adeoque perenni laude ſpectatiſſimo, HENRICO SCHABELLIO, meritiſſimi Conſulis Wiſmarienſis, HENRICI SCHABELII, filio, Cive & Mercatore Ham-
 burgenſi primario, an. 1639. in coelibatu beate defuncto, fundatum, fundus autem diſpenſandarum pecuniarum in Civitatis Lubecenſis aerario publico, quod *Caſſam* vocant, ſuaſu haud dubie fratris, D. HIERONYMI SCHABELII, Reipublicae Lubecenſis Syndici praeclariſſimorum meritorum copia laudatiſſimi, (qui licet an. 1637. d. 9. April. defunctus, huius tamen conſilii videtur auctor fuiſſe eo tempore, quo Frater ante conſtitutum & confirmatum Stipendium ſanctioris Theologiae cultoribus praemia per ipſum (43) diſtribuen-
 da curavit) in dies perpetuos collocatus. Hoc Stipendia inter literaria, quibus Saxonia etiam inferior clariſſima eſt, principatum tenet, ſiquidem, quantum conſtat, omnia reliqua in his regionibus & magnitudine & fructu, quem tulit, ſuperat. Vnde variis etiam elogiis fuit a magni nominis viris condecoratum. Sic enim mente gratiſſima ſcribit IO. MEISNERVS (44), qui forte omnium primus eodem fruitus eſt, ad primos ſaltem eius alumnos pertinet: *Beneficium Schabbelianum vere beneficium, & ingens quoque eſt, cuius ope ego in hunc locum aſpiravi, quem nunc teneo, abſque quo ſi fuiſſem, ſtudia mea in medio curſu abrumpere coactus fuiſſem. Bene ſit B, fundatori & omnibus iis, qui nunc quoque in eo conſervando laborant!* IO. ERN. GERHARDVS in Dedicacione, Ienae. d. 20. April. 1652. ſcripta, *Patrologiae IO. GERHARDI*, patris, D. DAVID. GLOXINIVM, Syndicum (deinceps Conſulem) Lubecenſem, & D. HENR. SCHABELIVM, Curiae Megapolitanae Aſſeſſorem, ſic, inter alia, gratiſſimus alloquitur;

(43) Vnde eius honorifice meminit GOTTH. de HÖVELN in Orat. in Lau-
 dem S. R. I. liberae atque principis Hanſicae Civitatis, *Lubecae*, Wittenb.
 1679. fol. pag H, ubi SCHABELII, *Doctoris, Syndici, a Stipendiis magniſ-*
ſicis illuſtris, laudes Lubecae recensens, non obliſcitur.

(44) Epit. ad D. MEN. HANNEKENIVM, Praefulem Lubecenſem, d. 24. Ian.
 an. 1661 ſcript. Conf. D. GEORG. HENR. GOETZII, Antiſtitis iidem
 Lubecenſis, *Biblioth. Anti-Pontific. claror. Lubecenſi*, p. 15.

quitur: Mirabuntur nonnulli, cur Theologicum hoc scriptum, imperfectum insuper, imo & alieni ingenii foetum, Nobiliss. Vris Magnif. consecrare praesumserim. Sed scire illos velim, quod cum multis Nobil. Vris Magnif. nominibus obstrictum me agnoscam, nec solvere tamen Herculeum illum beneficiorum nexum concessum mihi haecenus fuerit, laxare modo hunc ingenua professione satius duxerim, quam ingrati ut debitoris macula mihi inuratur, porro committere. Quod Theologica mea studia non in primo suppressa flore fuerint, sed quod per ipsos sex annos in Academia Wittebergenf, ac postmodum in Belgio Gallisique, Argentoratensi denique ac Giesena Lyceis continuare eadem potuerim, id sane maximam partem liberalitati Vestrae, dum de amplissimo SCHABELLIANO beneficio Nobilissim. V. Magnifico prospicere mihi voluere, acceptum fero, mente tantorum beneficiorum aeternum memori. — — — Quantam curam Nob. Vrae Magnif. gerant, ne beneficium, a maioribus Suis pro Theologiae cultorum studiis sublevandis ordinatum, indignis distribuatur, testis illustris Leucorea est, quae ab aliquot iam annis haud paucos Theologiae amatores & vidit & amplexa ipsa est, summisque in Theologia honoribus ornatos illos Ecclesiae & Rei literariae tradidit. Hi vero Vris Magnif. studiorum suorum salutem unice debere, grato agnoscunt pectore. Pergite, Viri summi, Patroni ac Maecenates literarum eximii, meorum quoque studiorum Promotores exoptatissimi, perpetimque observandi, porro mereri praeclare de CHRISTI Ecclesia & orbe literato! Ita futurum, ut laus vestra iisdem, quibus vera religio, spatii pervagetur, ac tandem in coelis illam reportetis gloriae coronam, quae praeparata a Salvatore nostro omnibus est, qui multos erudierunt ad iustitiam: imo & his, qui, ut sint in Ecclesia, qui viam veritatis monstrare aliis, & orthodoxam religionem contra varios & iuratos eiusdem hostes defendere apti, provida cura sua effecerunt. Tales omnino Vos estis, Viri Magnifici, qui licet a multis annis, magnis sumptibus, ordine non interrupto, quatuor Theologiae Studiosos sustentetis, eisdemque in controversiis Theologicis quam diligentissime in Academiis Lutheranis exerceri curetis, tam angusto tamen animo estis, ut non vestrae tantum illos terrae mancipetis, sed Ecclesiis & Academiis, operam ipsorum efflagitantibus, quaecumque etiam fuerint, lubenti animo tradatis. Plerique rei literariae Praefides & studiorum Maecenates de huius istiusque saltem regionis, urbis, oppidi commodo promovendo

movendo solliciti sunt. Vos autem eam curam ducitis praeclaram, qua efficere contenditis, ut hinc inde Academiae & Ecclesiae ob Vestram sollicitudinem Vobis obstrictae. SEVERIN. LINTRVPIVS in Vita HECT. GOTTFR. MASII (45): Ab Evergetis inter munificentiae Schabbelianae alumnos, quos annuo stipendio, illustri sane illo & paucis comparando, alere consuevit publica pietas, cooptatus Noster, tamque amplo, non magis ad provehenda altius studia adminiculo, quam ad gloriam & celebritatem stimulo impulsus, Athenas Gissenses repetiit. IO. FECHTIVS in Memoria IVST. CHRISTOPH. SCHOMERI (46): Anno MDC LXIX praemium industriae suae, Stipendium Schabbelianum, exinium promovendorum studiorum instrumentum, est consecutus. Idem in Epistola, ZACHARIAE GRAPII Dissertationi Theologicae inaugurali, Controversias quasdam recentiores de Verfione B. LVTHERI Germanicae examinanti, pro impetrando Baccalaureatu Theologico Rostoch. 1697. habitae, annexa, pag. 2: Qui insigni illo & in tota Germania nostra celebrato Beneficio SCHABELIANO fruuntur, ad illud eruditionis Theologicae fastigium concessas sibi a DEO dotes producant, quo Divini Nominis gloria cum singulari quopiam & eminenti Ecclesiae fructu coniungatur. GOTTL. WERNSDORFIVS in Programmate, quo ad Orationem inauguralem IO. HERM. ab ELSWICH invitavit (47): In his omnibus & tentandis & exsequendis magno ei tum subsidio, tum levamento fuit, quod eidem incomparabili illo Schabbeliano beneficio, cuius Levamento

Lubeca

- (45) fol. a. 4. in fronte Dissertationum MASII Academicarum Hamb. 1719. 4s coniunctum editarum.
- (46) Ap. HENR. PIPPINGIVM in Memor. Theologor. p. 484
- (47) Pag.)(2. b. Ibidem in antecedentibus hoc nostram Urbem insignitum elogio: LEBECAM, inferioris Saxoniae ocellum, & urbium Hanseaticarum caput, erga se, fratremque suum germanum, non minus expertus fuit benevolam, quam maiores sui, qui ob religionem patriis sedibus expulsi, in eadem initio fortunarum suarum perfugium, mox sedem, invenerant. Floret enim Urbs illa gloria, quod pietate ac munificentia erga miseros afflictoque excellat, ac omnes prope alias beneficiorum multitudine, amplitudine ac facilitate vincat, ita, ut literarum iuxta & literatorum benignissima nutrix iure merito saluten-

Lubeca tuetur, per annos complusculos frui, ab Amplissimis illius Curatoribus datum fuit. Absque hoc enim, nec tot annos in Academiis haerere, nec tantas in sacris, profanisque, literis progressiones facere, nec tot sumptus in libros cõmendos impendere, nec denique ad illum, quem hucdum tenuit, honoris gradum ascendere potuisset. Hoc ipso autem mañtatus, suo deinceps exemplo testatum fecit, non male illum docere posse, qui bene dicit. GEORG. HENR. GOETZIVS (48): Beneficium Schabbelianum Viros aluit, & Ecclesiae dedit, ipsius commoda invidendis successibus promoventes. Auctor Curriculi Vitae WILHELMI VERPOORTEN, Praefulis supremi Coburgensis, ad calcem Concionis Funebris a IO. FISCHERO, Archi-Diacono Coburgensi, d. 17. Mart. 1686. habitae & Coburg. in 4. editae, pag. G. 3. praedicat datum ipsi a magnifico GLOXINIO studiorum subsidium, *das ansehnliche Lübeckische Stipendium, SCHABELLIANVM genant, welches er auch sehr wohl angewendet.* Director & Professores Gymnasii Coburgensis in Progr. loc. cit. pag. C: Interea subsidio laudati modo Maecenatis, magnifici GLOXINII, Stipendio Schabbeliano mañtatus, quadriennoque lenae exaeto, occasionem Leucoream quoque Vniversitatem adeundi nactus est. IO. GEORG. REINESIVS in Dissertationis Theologicae de IESV CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ, fissentis duas in CHRISTO Naturas personaliter vnitas, earumque Proprietates, Ien. 1704. 4. pl. 8. editae & praefide D. PHIL. MÜLLERO publice defensae, Dedicatione ad D. SEBASTIANVM GERCKEN, prudentissimum amplissimumque primum Senatorem, deinceps magnificum Consulem Lubecensem, meritis immortalibus illustrem: *Quem eruditorum laetet, quanto cum Ecclesiae emolumento SCHABELLIANA illa beneficia literaria vndiquaque celebratissima a Tua Excellentia huc usque sint dispensata, cum tot summi Theologi de Ecclesia IESV CHRISTI iam tum praeclare meriti & indies merentes, hoc ipso beneficio a Te olim enutriti, testes sint omni exceptione maiores? Praeconem quoque huius Stipendii, grato impulsum*

sum animo, egisse IO. BOTSACCVM (49), eius quondam alumnum, me alio loco (50) observasse, memini. Plura non cumulo, cum allata ad evincendam pereximiam, qua dudum hoc Stipendium gavissum est, famam sufficere posse, existimem. Dum vero huius Legati mentionem facio, non possum non simul commemorare, quod SCHABELIUS iam ab anno 1629, adeoque octo circiter annis ante Stipendii foundationem, varia dederit liberalitatis suae erga sanctiorum literarum cultores documenta, testibus, quae supersunt, acceptae pecuniae chirographis, sicque Stipendiatos habuerit ante constitutum Stipendium, an. 1637. d. 20. Decemb. perinsigni & solido documento, in membrana exarato, cui manu sua subscripsit, firmatum ac roboratum. Quam pia, quam vtilis, quamve laudabilis fuerit Testatoris intentio, cernere licet ex ipsis Testamenti verbis, dignis, quae hic etiam legantur: *Dass davon 4. Studiosi Theologia in Academia quadam, woselbst das reine Wort GOTTES nach Augspurgischer Confession und Formula Concordia gelehret wird, unterhalten werden sollen, also, dass selbige Studiosi alle ihre Studia, Fleiß und Arbeit dahin, damit sie künfftig, ein jeglicher an seinem Orte, dahin ihn GOTT fordern wird, als ein getreuer Hirte, der Gemeine GOTTES nützlich vorsehen, und als ein rechtschaffener Theologus die Widersacher und Feinde unsers wahren Christenthums mit gutem sattem Grunde göttlichen Worts in Lehren und Schriften wiederlegen und abtreiben können, richten sollen.* Vnde etiam ad eundem scopum collineant Leges huius Stipendii, ad quas concinnandas adhibitus potissimum fuit D. NICOLAVS HVNNIVS, Lubecensis isto tempore Praesul, cuius prudentissimi suavoris saluberrimis consiliis Stipendii huius alumni non parum debent (51); ipse vero aliquid etiam SCHABELIO debet ob filium vnicum, AEGIDIUM ERNESTVM HVNNIVM, an. 1629. d. 30.

(49) Anabapt. Reprob. Dedicat. p. C b 3.

(50) Athen. Lubec. P. IV. p. 595

(51) Vid. celeberr. CASP. HENR. STARCKII Hist. Eccl. Lubec. p. 889.

d. 30. Jul. inter Stipendiatos, ante legatum & firmo documento corroboratum Stipendium, adscriptum, qui an. 1628. adiit Wittenbergam, in qua Academia publicum dedit specimen disputatorium: an. 1633. contulit se Regiomontum, vbi an. 1634. in ipso aetatis flore ei fuit succumbendum (52), quod eo maiorem Parenti optimo peperit luctum, quo certius, magna de se concitata spe (53), paterna haud dubie legisset vestigia. Quemadmodum vero Stipendiatii quatuor Nebucadnezarei debuerunt discere scientias philosophicas & civiles Chaldaicas, Regi inservire & aulae interesse; ita Stipendiatii quatuor Schabbelianis, ex voluntate Testatoris, incumbit, probe cognitatis sibi reddere scientias diviniore, vt Regi Regum, ipsi DEO O. M. queant officia praestare, & aulae Eius, i. e. Ecclesiae, praesse, huiusque commodis, vel in Academiis, vel aliis in locis, studio indefesso & animo veritatis sanctioris tuendae cupidissimo, invigilare. Morem ei gestum fuisse, tam firmiter potest probari, quam certum est, quod hoc Stipendio fructi sint Viri (54), quos inter reperiuntur, quorum merita in rem sacram sunt permagna, qui, dudum licet plerique defuncti, in praestantissimis tamen, quae reliquerunt, scriptis hodieque vivunt, qui viros inter doctissimos honorificum merentur locum, qui sanam doctrinam candide professi strenueque sunt tuiti, sicque memores officii, a SCHABELLIO ipsis iniuncti, bella Domini adversus veritatis hostes fortiter gesserunt. Verbis meis fidem conciliabunt crastino die recensendi & publice concelebrandi Viri maxima meritorum gloria conspicui, qui Stipendii Schabbeliani fuere alumni, eodemque adiuti, literarum sanctiorum studia prospero tractarunt

suc-

(52) Conf. lib. cit. p. 747. 1109 sqq.

(53) *Eрудitissimus & summae spei iuvenis* vocatur a D. IO. BEHMIO, Theol. Prof. primario, in Progr. Funebr. ap. laudatum STARCKIVM p. 1110.

(54) Conf. GEORG. FRID. NEVMANNI Orat. de Favore Lubecensium in Exteros p. C. 2. b. sq. vbi extans Stipendiarum Schabbelianorum index imperfectus quidem est, variorum tamen notitiam suppeditat.

successu, & plerique evaserunt viri, quos orbis eruditus, ac coetus praesertim Lutheranus, ad ornamenta sua iure potest referre.

§. XI.

Omnes itaque prudentes & legitimo ac fructuoso saerae disciplinae studio bene cupientes, eiusque florem & incrementa sincere efflagitantes, non poterunt non probare colendam Stipendiū Schabbeliani memoriam saecularem, quae auctoritate hodierni eiusdem Patroni & Administratoris, Viri nobiliff. consultiff. prudentiff. & ampliff. DN. GEORGII HENRICI GERCKEN, Icti, Senatoris de Republica Lubecensi optime meriti & quotidie perinsigniter merentis, (quem Maeccenatem DEVS benignissimus fervet & exoptatissima nunquam non abundare sinat felicitate!) crastino, adeoque foundationis die saeculari, solenni ritu erit celebranda. Is enim vti interpretatur fortunam, quod clementissimum Numen ipsi concesserit, tempus attingere, quo a fundato Stipendio integrum elapsum est saeculum, ita non voluit solum, vt in nostra Civitate Lubecensi, administrationis loco, verum etiam in celeberrimis Acaemiis, Rostochiensi, Wittenbergenfi & Ienensi, vbi hodierni Stipendiati Schabbeliani, M. IOACHIMVS HENRICVS BVGMANN, M. IMMANVEL ERNESTVS HAHN, ZACHARIAS DAVID SCHVLEMANN, ac (quem dum nominare cogor, ad gratisimam simul mentem pro singulari plane, & quod extraordinarium est, comprehendente, benevolentia GERCKENIANA officiosissime declarandam, pietas me inflammat) filius meus, ERICVS SIMON HENRICVS a SEELEN, degunt, lubilacum Stipendiū Schabbeliani primum solenniter ageretur.

§. XII.

§. XII.

Sicuti autem non est dubium, quin hi officio suo pro virili sint satis facturi, ita etiam, quod mearum erit partium, & operae egregiae pretio, & favore, quo dudum me dignum habuit saepius praedicati Stipendii Curator hodie prudentissimus, & propensa voluntate filio meo sub ipsum vitae Academicae initium, inaudito adhuc exemplo, sponte exhibita, incitatus, perficere conabor. Quo sine crastina luce, in Auditorio Cathariniano,

Orationem saecularem in memoriam & laudem illustris Stipendii Schabbeliani,

divinis habere auspiciis, animum induxi, hacque ratione, quoad fieri poterit, exequi studebo, quod M. IOANNES EHRENFRIED PFEIFFERVS, augusti nominis Theologi & Philologi, D. AVGVSTI PFEIFFERI, Praefulis Lubecensis, filius, peculiari scripto: *Quantum res literaria Stipendio Schabbeliano debeat* (55), in honorem Stipendii, quo ipse fructus est, ostensurus, promisit quidem, sed primum demandato ipsi a Gustavoviensibus munere sacro impeditus, deinceps morte praeventus, ad liquidum perducere non potuit. Permulum autem Vobis, MAGNIFICI ET ILLVSTRES DNN. CONSVLES, Patriae Patres exoptatissimi, summe venerabilis DN. PRAEPOSITE, generosiss. DN. DECANE, summe rever. atque excellentiss. DN. SVPERINTENDENS, nobiliss. consultiiss. & experientiss. DNN. SYNDICE ac DOCTO-

(55) Comp. Nov. Lifer. Mar. Balh. 1704. p. 34.

DOCTORES, admodum rever. & praeclariss. DNN. SENIOR, PASTORES atque SYMMYSTAE, nobiliss. prudentiss. & ampliss. DNN. SENATORES, PROTONOTARIE ac SECRETARII, nec non omnes, qui delicias illas animi humani, Literas, amatis, debebo, si me benigne & humaniter audire, Vobis placuerit. Non est vero, cur ambigam de Vestro, quem decenter expeto, affectu, cuius quippe tot iam dedistis variis occasionibus documenta, vt nulli amplius dubitationi locus sit relictus. Accedit argumenti dignitas, siquidem in medium producentur Viri literatissimi, & praesertim Theologi, cum excellentissimis comparandi, quibus favore magnorum, qui hanc Civitatem condecorarunt, Virorum collatum Stipendium, auxit famam apud externos & gloriam Lubecae, in qua vt posteri etiam multos festo ritu tranfigant dies Iubilaeos, tam candide opto, quam iustum censeo & aequum, vt memoriae Stipendii Schabbeliani saecularis colendae ergo solennis actus instituat.

P. P. Lubecae. d. XIX. Decemb. A. MDCCXXXVII.



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3




PH 306

VD 77

NC







L. D. B. V.

DE
**STIPENDIATIS
LITERARIIS**

*NEVCADNEZARIS, BABYLONIORVM
REGIS,*

AD

DAN. I. 4. 5. 6. 17. 19. 20.

MELETEMA,

QVO

ILLVSTRIS STIPENDII SCHABELIANI
IVBILAEVM PRIMVM,
ORATIONE SAECVLARI

D. XX. DECEMB. A. MDCCLXXXVII.

IN AVDITORIO CATHARINIANO
CELEBRANDVM,

INDICIT

lx.

IO. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBECAE RECT.

LVBECAE.

TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYPOGR.